BREVIS ELVCIDATIO TRIVM ARTICVLORVM 326, 329, & 330. PARISIENSIS legis municipalis.

Auctore IOANNE DV BOYS *I. C. & in supremo Senatu Patrono.*

Ad HENRICVM DE MESMES, Lutetiæ Parisiorum Proprætorem ornatiss. & ampliss.



PARISIIS,
Apud CAROLVM CHASTELLAIN, viâ Iacobæâ sub signo Constantiæ, è regione S. Yuonis.

M. DC. XIV.

Case
F
39
.326
1614 du

THE NEWBERRY
LIBRARY



47-2035

AD HENRICVM DE MESMES LVTETIÆ PARISIORVM Propraetorem ornatiss. & ampliss.

QVæ hisce diebus, Do. Ampliss. proximè præteritis ex ſupremi Burgundionum Senatus decreto, poſtulante nobili & diſcreto viro D. D. Fayot Conſiliario Iudice delegato ſuper vtendi modo horum trium articulorum 326, 329, & 330. ciuilis noſtræ legis peracta eſt ex facti ſpecie quam inferior pagina indicabit, conuocatis turmatim in ſolẽni Conſilio Præturæ Pariſienſis Decurijs, Inquiſitio, me impulit ex collectis ad municipalis noſtræ legis explanationem, nondum tamen lectis floribus præmaturo fateor tempore, hunc v-

num publico iudicio odorandū excerpere vt ſi ex his primitijs noſtris patriæ Themidi dicatis quos in lucem ſpargere meditor reſpuerit, patienter pro tempore feram, donec amœniori ſcientiæ ſole perluſtrati ſuauitatem pariter, & pulchritudinem præ ſe ferre poßint: humilis eſt ſtilus atque deſiderari poteſt ſermonis puritas & elegantia; id ita feci quò magis animi ſenſa familiaribus verbis clariùs innoteſcerent, & ne commentariolus ampliori commentario indigeret, ſuáque obſcuritate contemneretur, ſcripſi in Iureconſultum, non in oratorem. Precor vt hunc noſtrum qualemcumque laborem, æqui boníque conſulas: ingens mihi præmium exigui laboris, tibi, licet ſoli placuiſſe, cæteris diſplicuiſſe.

Tuus,

IOANNES DV BOYS.

Articulus 326.

Et quant aux propres heritages, luy ſuccedent les parens qui ſont les plus proches du coſté & ligne, dont ſont aduenus & eſcheuz au deffunct leſdits heritages, encores qu'ils ne ſoient plus proches parens du deffunct.

Articulus 329.

Et ſont reputez parens du coſté & ligne, ſuppoſé qu'ils ne ſoient deſcendus de celuy qui a acquis l'heritage.

Articulus 330.

Et s'il n'y a aucuns heritiers du

costé & ligne dont sont venuz les heritages, ils appartiennent au plus prochain habile à succeder de l'autre costé & ligne, en quelque degré que ce soit.

Huillier,
ine Ba-
remiere
me.

l'Huil-
nme de
aume
uet.

efue Dau-
mme de
e Mon-
aux.


Monceaux
Villacoublé
sieur de la
e, defẽdeur.



ÆC est, nobilis D.D.M. Lescot propositio, in diuidenda defunctæ Renatæ l'Huillier propriorum, (vt vocat) paternorum hereditate, siue nascentium in persona dictæ defunctæ, siue iam natorum in personis, vel patris, vel aui paterni, non esse altiùs inuestigandam lineam, neque altiùs ascendendum ad demonstrandam parentelam vltra personam patris defunctæ: & ita quandoquidem est consanguineus dictæ defunctæ ex latere & linea Guillemi patris à quo immediatè omnia bona sua habuit, eique facta sunt propria paterna, eodēque cōsanguinitatis gradu, quò dominus de Villacoublé, pater domini de la Houssaye, defunctam ex illo latere paterno contingat, æqua sorte diuidendum esse integrum eius patrimonium paternum, & eam esse veram interpretationem articuli 326. fingique parentem de latere & linea, licet ab eius auis & abauis paternis non processerit qui ea bona primùm quæsierunt, per articulum 329. atque fisci causa promulgatum articulum 330. per quem constituta parentum duplici tantum linea, deficientibus puta bonorum maternorum parentibus, proximus quisque de altera linea, idest paterna, vocatur ad successionem.

EX aduerso id vult Dominus de la Houssaye, in erciscunda dictæ defunctæ propriorum, quæ per patris successionem habuit familia, non personam solius patris esse inquirēdam, sed personam aui paterni, nullamque partem deberi

ARBOR SANGVINIS.





Æ c eſt, nobilis D.D.M. Leſcot propoſitio, in diuidenda defunctæ Renatæ l'Huillier propriorum, (vt vocat) paternorum hereditate, ſiue naſcentium in perſona dictæ defunctæ, ſiue iam natorum in perſonis, vel patris, vel aui paterni, non eſſe altiùs inueſtigandam lineam, neque altiùs aſcendendum ad demonſtrandam parentelam vltra perſonam patris defunctæ: & ita quandoquidem eſt conſanguineus dictæ defunctæ ex latere & linea Guillemi patris à quo immediatè omnia bona ſua habuit, eique facta ſunt propria paterna, eodēque cōſanguinitatis gradu, quò dominus de Villacoublé, pater domini de la Houſſaye, defunctam ex illo latere paterno contingat, æqua ſorte diuidendum eſſe integrum eius patrimonium paternum, & eam eſſe veram interpretationem articuli 326. fingique parentem de latere & linea, licet ab eius auis & abauis paternis non proceſſerit qui ea bona primùm quæſierunt, per articulum 329. atque fiſci cauſa promulgatum articulum 330. per quem conſtituta parentum duplici tantum linea, deficientibus puta bonorum maternorum parentibus, proximus quiſque de altera linea, ideſt paterna, vocatur ad ſucceſſionem.

EX aduerſo id vult Dominus de la Houſſaye, in erciſcunda dictæ defunctæ propriorum, quæ per patris ſucceſſionem habuit familia, non perſonam ſolius patris eſſe inquirēdam, ſed perſonam aui paterni, nullamque partem deberi

domino Lescot in his bonis, siue iam proprijs in persona aui, siue quæsitis ab eo quæ per eius successionem in persona Guillelmi patris defunctæ facta sunt propria ex latere & linea Ægidij patris eius, quia non est de latere & linea dicti Ægidij, vt quem nullo gradu parentelæ contigerit, vel contingere potuerit: eumque esse sensum articuli 326. neque dominum Lescot, fingi parentẽ dicti Ægidij, per articulum 329. sed si parens eius foret, declarari, siue fingi de eius latere & linea; licet ab eo in directa non descendisset: Neque articulum 330. additum fuisse ad constituendam duplicem tantum bonorum propriorum, siue etiam parentelæ lineam, paternam scilicet, & maternam, sed ad excludendum fiscum, dominúmque iuridicum, ne quis putaret deficiente parentum linea, bona propria defuncti deficientis lineæ caduca fieri, fiscoque vel domino deferri.

Publica



VBLICA fuit & consentiens omnium in causam domini de la Houssaye, vtpote causa iustiore sententia. Cùm tamen viderim nonnullos (paucissimos tamen) magis necessitate præcedentium vsuque communi, quam spontanea opinione trahi in eam sententiam ne ipsis, aut alijs similis in posterum quæstio obliteratâ rerum gestarum memoriâ negotium facesseret, operæ pretium esse duxi hanc breuissimam elucidationem in publicum dare, vt quòd vsus probauit, ita iure scripto constitutum fuisse innotescat.

HOc, in generè primò notãdum est, municipale ius nostrũ, neque in his articulis, neq; alijs vniuersis, siue sub hoc titulo, siue sub titulo retractus conceptis, in quibus de * parẽte defuncti, vel proprio eius prædio sermo est, dixisse vnquam parentem defuncti paternum vel maternum; sed dixisse parentem de latere & linea: similiter non dixisse hæredium paternum vel maternum, sed hæredium de latere & lineâ: ex quo duplicem conclusionem elicio, primam ex verbis legis expressis non ordinari, in defuncti successione diuidenda, duas tantum constituendas esse lineas, paternam scilicet & maternam, id enim nullibi dicit lex nostra: Secundam in hæreditate defuncti ampliùs, quam duas considerari posse bonorum propriorum lineas, pro diuersa enim propriorum ratione diuersæ constituendæ sunt eorum lineæ, si ex diuersis lineis, siue principijs defunctus bona propria habuerit.

** Vsus sum in hoc tractu parentis verbo, non propriè sed impropriè pro consanguineo.*

Quodnam sit propriũ prædium.

Posito hoc fundamento singula articulorum verba examinanda sunt, quodque primum occurrit illud est (*propre heritage.*) Illud autem dico esse proprium prædium, quod alicui per successionem contigit articulo 129. nostri statuti, nam omne proprium, tam in quæstione retractus quã successionum fit tale primum per successionem, quod enim prædium in persona quærentis vocatur quæsitum, in persona hæredis vocatur proprium, siue in directa, siue in collaterali linea succedat, & in eo instanti quo fit proprium, afficitur illud prędium illa qualitate, per quam vocatur proprium hæredis ex latere & linea defuncti, ideóque linea prędij proprij semper incipit ab eo qui quęsiuit, & per cuius successionem à principio factum est proprium, vt perspicuè dicit articulus 230. nostri statuti, neque hæc qualitas per quam in primo hærede vocatur proprium ex linea defuncti in eo dumtaxat existit, neque noua qualitas noui proprij in hærede hæredis constituitur (primâ extinctâ) ex linea primi hæredis, sed quæ constituta fuit in primo hęrede proprij linea eadem continuatur in primum, secundum, tertium, & in alium quemlibet deinceps hęredem ex eodem latere & linea: non enim constituitur nouum proprium in singulis personis succedentibus, sed semel constitutum continuatur in eadem qualitate proprij ex primo illo fonte, & ex prima illa linea, neque mutatur conditio & qualitas prædij proprij per mutationem hæredũ, sed potiùs confirmatur quasi profundiori emissa radice: Ideóque quod prædium filius habet ex successione patris sui, si iam in persona patris pro-

prium erat, quia linea iſtiuſmodi proprij non procedit ab ipſo patre, vt quę iam procedat ab eo cui pater ſucceſſit, non poteſt huiuſmodi prædium dici propriũ filio ex linea patris, quoniam ſucceſſio patris in filium non afficit, ſiue non producit in prædio illam qualitatem per quam vocatur proprium, quoniam iam antea illa gaudebat, neque propter aliam cauſam filius patri ſuccedit in illud prædium patri propriũ, niſi quia eſt de linea eius, cui pater ſucceſſit, quam eamdem lineam continuat, non nouam conſtituit ex perſona patris ſui, abſurdum enim eſſet filium habere prædium per ſucceſſionem tanquam conſanguineum de linea eius cui pater ſucceſſerat, & nihilominus conſtituere prædium ipſi filio factum eſſe proprium ex linea ipſius patris.

Secundum verbum quod explicandum occurrit illud eſt (*parents*) quod quidem verbum naturaliter non ciuiliter verè non fictè eſt intelligendum, non enim parentela à iure ciuili, vel municipali introducitur, ſed à iure naturæ & ſanguinis oritur, ita naſcimur, non fimus, & ita morimur, eaque qualitas neque nobis dari, neque aufferri poteſt, quia quæ à natura iura conſtituta ſunt immutabilia permanent. Notandum autem ad inueſtigandam defuncti & hęredis pręſumpti parentelam non eſſe ſiſtendum in vtriuſque immediato generationis gradu, (exceptis fratribus) ſed tandiu ſurſum eſſe progrediendum per generationes donec perueniatur ad communem defuncti, & hæredis pręſumpti ſtipitem, eóque iuuento, iam dicuntur parentes ex illo ſtipite, ſiue ex ea communis ſtipitis linea, neque dici *Qui dicãtur parentes, ſiue cõſanguinei.*

possunt inuicem parentes, nisi qui conueniunt in aliquo communi stipite, generatio enim communis inducit parentelam, neq; parentela illa inter plures hæredes dignosci potest nisi prius cõstituta defuncti directa linea vsque ad commune, tam illius quam hæredum caput, ex qua omnes collateralium parentum lineæ manant, taceo in hoc articulo de parentela ciuili adoptionis & adrogationis hoc enim ius nobis est incognitum.

Qui dicãtur proximiores.

Sequitur tertium verbum, (*les plus proches*) quæ qualitas proximioris parentis, non secundum naturam & sanguinem intelligitur, sed secundum ius nostrum municipale, per quod introducta bonorum propriorum distinctione & successione iuri naturali quodammodo aduersa, sed propter publicum & ciuile bonum; non eos quos ius naturale, siue ius gentiũ recipit defuncti hęredes, sine vllo bonorum discrimine, videlicet propinquiores defuncto iure sanguinis parentes, sed propinquiores de latere & linea dictorum bonorum parentes, licet defuncto remotiores in gradu sanguinis: quo fit vt strictè accipienda sint illa verba, neque fictio illa iuris ciuilis contra ius naturale extẽdenda est, neq; alius de non linea per fictionẽ admittendus est ad successionem in præiudiciũ, siue ad exclusionẽ propinquioris, aut in eodem gradu constituti parentis similiter de non linea bonorum, ne meritò iniustitiæ damnari posset lex nostra, vt quæ per fictionem admitteret parentem remotiorem de non linea bonorum, excluso propinquiore parente cui iure naturæ vniuersa debetur successio;

vt verbi gratia, si sublato domino de la Houssaye solus remaneret dominus Lescot presumptus heres defunctæ Renatæ l'Huillier, cum sorore dictę defunctæ vterina, nonne æquius & iustius ex iure Romano sorori bona defunctæ quæ ex familia Ægidij Aui habet adiudicare, quàm domino Lescot parente defunctæ in remotissimo gradu, cùm enim vterq; respectu Ægidij extraneus sit, si hoc casu fictio facienda esset, ea magis facienda per quam successio defunctæ deferretur secũdum dispositionem iuris naturalis, siue gentium vt æquiorem, per quam vocatur proximior consanguineus ad vniuersum defuncti patrimoniũ, sed dicerem hoc casu deberi successionem sorori vterinæ excluso domino Lescot, verè non fictè, naturaliter & ciuiliter per dispositionem legis nostræ articulo 330. qui sublatis parentibus de linea propriorũ bonorum, proximum quemque defuncti parentem vocat ad successionem secundum ius gentium. *Quæstio singularis.*

In his quæ sequuntur verbis (*du costé & ligne*) tota pẽdet quæstionis difficultas, cõstituto enim illo latere, & constituta illa linea, facillimum erit iudicare quid dicatur proprium, aut quomodo intelligatur proprium de latere & linea, & quî dicatur parens de latere & linea in municipali nostra lege.

Hoc igitur in primis animaduertendum est hęc illa duo verba (*costé & ligne*) non esse sinonima neque eamdem vim & significationem habere: semper in legibus singula verba accuratissimè expendenda sunt, neque existimãdum est toties legem nostram duo illa vocabula cumulasse, nisi è *Expositio horum verborum, costé & ligne.*

re esse, atque vtriusque diuersam notionem iudicasset.

Cùm igitur in omni successione sint illi velut duo termini, defunctus, & bona, illis duobus terminis ex aduersò alios duos constituit lex nostra, *costé & ligne*, quibus non inconcinnè dici potest respondere alios duos qui respiciunt hęredem, *escheu & venu*, vt inferiùs dicetur, quippe qui verbum illud *du costé*, refertur ad proximum per cuius successionem immediatè defuncto prædium contigit, sed istud *& ligne*, refertur ad prædium proprium, quod aliunde quàm à proxima & immediata successione defuncto venit, & ita hæres non solum debet esse de latere, sed etiam de linea: verbi gratia, dominus Lescot est quidem parens defunctæ Renatæ l'Huillier ex latere patris, quoniam mediante eius patre ei est coniunctus, non est tamen de linea reciproca ipsius patris quantum ad bona de quibus sermo, quoniam alia est bonorum linea, alia linea sanguinis qua mediante dominus Lescot coniungitur ipsi patri, nam coniungitur in linea sanguinis per dominam Iohannam de Chanteprime, & bona sunt ei propria mediante linea Ægidij l'Huillier, cuius respectu dominus Lescot extraneus est.

Alia horũ verborum, costé & ligne, *expositio*.

Et licet vera, si tamen alicui fastidiosa sit huiusmodi verborum distinctio, fateor cum illo duo illa verba esse sinonima, constat tamen vtrũque hoc modo dici respectu hæredis pręsumpti, & bonorum propriorum, non verò defuncti de cuius agitur successione, nam quilibet consanguineus defuncti sub hac denominatione pro-

cul dubio eſt de latere & linea ipſius defuncti, non tamen primo ordine quilibet vocatur ad ſucceſſionem prędij proprij, niſi ſit de linea vnde defuncto prædium proprium contigit; & venit: & ſic illa linea, conſtituta à iure noſtro inter parentes, dupliciter conſideranda eſt: primò quatenus reſpicit prædium proprium tale factũ per geminatas ſucceſſiones, ſecundò quatenus reſpicit præſumptũ hæredem parentem de latere & linea talem natum per geminatas generationes.

Quomodo autem naturaliter conſtitui non poteſt linea parentelæ hæredis præſumpti cum defuncto, niſi ſurſum aſcendendo per generationes perueniatur ad communem defuncti & hæredis præſumpti ſtipitem, eoque iuuento communi ſtipite, defunctus & hæres dicuntur inuicem parentes ex illa linea: Ita ad conſtituendam ciuilem prædij proprij lineam; neceſſario ſurſum aſcendendum eſt per ſucceſſiones, donec perueniatur ad eum in cuius perſona prædium erat quęſitum, & per cuius ſucceſſionem ſortitum eſt qualitatem illam proprij de tali linea, & ex cuius perſona veluti ex radice prodijt linea proprij creuitque per multas ſucceſſiones: & quomodo naturaliter nulla eſſe poteſt parentela inter defunctum & præſumptum hæredem niſi vtrique conueniant cum aliquo communi ſtipite è quò deducatur linea: Ita ciuiliter non poteſt ſuccedere in proprijs defuncti tanquam de illa ciuili proprij linea, niſi cum ipſo defuncto conueniat in communi proprij ſtipite, ex quo deducitur ciuilis proprij linea, quem eſſe volo eum qui quæſiuit, qui

Collatio naturalis lineæ cum ciuili proprij lineæ.

in familiam intulit, & per cuius successionem primò adeptum est qualitatem proprij de eius linea: vnica tamen est differentia inter ilias duas lineas, naturalem scilicet sanguinis, & ciuilem prędij proprij, quòd naturalis sanguinis linea collateralium, esse non potest sine directa linea ex qua collaterales manant, sed constitui potest linea prædij proprij per se inter collaterales, eaque de causa articulus 329. legis nostræ statuit eos esse parentes de latere & linea qui ex primo prædij quærente non prodierunt, ea propter dicam obiter quid sentiam, collateralem scilicet parentem lateris & lineæ bonorum propinquiorem, excludere remotiorem parentem qui descendit ex linea directa quærentis, aut concurrere cum eo si sint in pari gradu, quia articulus 326. indefinitè, & sine vllo discrimine, quemlibet vocat propinquiorem parentem ad successionem propriorum, quem articulus 329. vult etiam eum esse qui non descendit ex eo, qui quæsiuit alioquin vanus planè & futilis esset hic articulus 329.*

Quæstio singularis ad Art. 329.

** Nota ex Art. 339. auunculum & nepotẽ defuncti constitui in eodem gradu, pariterque vocaui ad successionẽ, ideoque si sint de eadem linea bonorum vtrique simul vocantur.*

Continuata collatio sup. d. linearum.

Ad propositum redeo, sicut diuisa parentelæ naturalis linea iam non est linea, neque probare potest amplius præsumptus hæres se parentem defuncti: vt puta si dominus Lescot ad probationem parentelæ suæ, nollet altius ascendere vltra personam patris defunctæ Renatæ l'Huillier, pace eius dixerim esset absurdum, neque probaret se parentem: ita diuisa proprij ciuili linea, iam non est linea sed circulus, tolliturque effectus verborum nostri statuti contra intentionem ipsius, quia voluit semel in familia constitutum

ſtitutum prædium in eadem familia bono & ornamento ipſius per ſeriem ſucceſſionum, ſicut parentela naturalis per ſeriem generationum, veluti per lineam in parentes eiuſdem lineę primi auctoris conſeruari, neque voluit in ſingulis perſonis ſuccedentibus mutari veterem lineam, & conſtitui in eodem prædio nouam lineam ex perſona hæredis, ſed à primo conſtitutam conſeruari atque confirmari per diuerſas ſucceſſiones : & quomodo per ſucceſſionem Guillelmi l'Huillier, dominus Leſcot non poterat ſibi vendicare illa bona, ita nec per ſucceſſionem Renatæ filiæ, quoniam tranſlata ſunt bona propria patris in Renatam filiam, non quia erat de linea patris, ſed quia erat de linea aui vnde bona venerāt, & ita in eius perſona conſeruata fuit aui linea, cui lineæ, per ſucceſſionem Renatæ bona illa reſtitui debent, quia illa ſuccedente patri, lineam aui conſeruauit non ſuſtulit : & ſic patet neminem poſſe ſuccedere in proprijs defuncti bonis ſub illa formali propriorum ratione, neque exiſtimari debere parentem de latere & linea bonorum, niſi parens ſit eius à quo incepit linea illa proprij, mutua enim debet eſſe relatio inter lineā præſumpti hæredis & lineā prædij proprij, vtriuſque tamen lineæ quantum ad hoc jus ſuccedendi principium eſt is qui quæſiuit, cum quo principio vniri debet iure ſanguinis qui ſibi ſucceſſionem prædij proprij vendicat.

His rationibus addo hanc meam opinionem probari ipſiſmet verbis articuli 326. *dont ſont venus*, hiſque verbis innui lineam illam de qua loquitur, non aliam eſſe quam primi auctoris, *Expoſitio horum verborum,* dont ſont venuz.

non immediati parentis per cuius successionem prædium defunctus habuit, illudque confirmari articulis 141. 230. 329. Nam cùm articulus 178. veteris consuetudinis qui nunc est 141. diligentiorem parentem & gentilitium prætulisset in actione retractus, visum est in reformatione consuetudinis hæc verba huic articulo addere (*licet retrahens non descenderit ab eo à quo prædium venit*) nequis forte existimaret constitui tantum posse lineam prædij proprij in directa cõsanguinitatis linea, vel descendentes eius à quo venit prædium in directa linea anteferri parentibus eiusdem collateralibus: verum satis constat hunc articulum coniungendo prima verba cum vltimis, ideò meminisse specialiter eius qui quęsiuit alienatum prædium, non eius per cuius successionem immediatè venditori contigit, vt doceret, de eo parente & gentilitio loqui, siue eo parente de latere & linea, qui sit gentilitius, siue qui sit de latere & linea eius qui quæsiuit licet ab eo non descendat, quia quo ad rationem ciuilem propriorum bonorum linea fit in collateralibus.

Expositio Art. 141.

Expositio Art. 230.

Idque dilucidioribus verbis confirmat articulus 230. per quem ordinatur mediam conquestuum partem fieri propriũ patrimonium hęredis primi decedentis, eãq; partem rursus per mortẽ hæredis, reuerti ad proximiorẽ parentem lateris & lineæ eius ex coniugibus per cuius successionem defuncto hæredi venerat. Et quoniam quo iure constituta est retractus actio alienatorum extra familiam prædiorum, eaque data est parentibus venditoris de latere & linea, eodem etiam constitutum est ius succedendi in illa bona pro-

pria parentibus lateris & lineæ bonorum, vt par esset conditio retrahendi & succedendi, & ne sibi dissimilis videretur noua lex nostra, qua ratione diximus additam articuli 141. partem postremam sub titulo de retractu, eâdem, fuit additus articulus 329. sub titulo de successionibus, qui articulus procul dubio ostendit illa verba, *(parent du costé & ligne)* tam in illo, quàm in 326. & cæteris similibus articulis, necessario intelligi de latere & linea eius qui quæsiuit, non eius per cuius successionem immediatè defuncto prædiũ contigit, nam si per illum articulum 329. vult lex nostra aliquem esse siue reputari parentem lateris & lineæ licet ab eo qui quęsiuit non descendat, consequens est dicere legem loqui de latere & linea ipsius, qui quæsiuit non alterius, atq; disponere tantũ non esse necessariũ ad parentelã lateris & lineæ ipsius, ab eo in directa linea processisse alioquin articulus implicaret absurditatẽ & contrarietatem: neque dicendum est ex eo quòd sit aliquis consanguineus eius per cuius successionem prædium defuncto contigit, legem nostram in illo articulo 329. fictione iuris prudentissima eum fingere & reputare parentem lateris & lineæ ipsius qui quæsiuit, non enim id vult ille articulus, quia cum parentela in successionibus desiderata sit vera & naturalis parentela, quæ à natura & sanguine nascitur, non ficta & ciuilis, nulla ex iure ciuili ideſt municipali admittti potest fictio contra naturam, neque aliquis in consanguinitatis gradu constitui, si illum à natura sortitus non sit, & ideò nemo parens esse potest per fictionem, nisi velit etiam succedere per fi-

Expositio Art. 329.

Fictio non fit in iure naturæ, fit in iure ciuili.

ctionem : verum cum linea bonorum propriorũ constituatur à iure nostro municipali non à natura, in ea linea fictio admitti potest, id est quo ad lineam, non quoad parentelam, vt videmus in articulo 326. qui vult eum esse proximiorem parentem qui remotior est si proximior sit lateris & lineæ bonorum, non igitur fingitur parens, sed fingitur proximior in illa linea : similiter in hoc articulo 329. non fingitur aliquis parens si verè non sit, sed existimatur de latere & linea licet non descendat in directa, si enim lex nostra fictionem in parentela facere voluisset, vsa esset his absolutis & generalibus verbis, (*encore qu'ils ne soient parents de l'acquereur,*) sed vsa est singulari hoc verbo (*descendus*) quod verbum refertur tantùm ad parentelam in directa linea, ideóque hic articulus continet in se implicitè, sed necessario contrariam parentelam nempe collateralem, quandoquidem in collaterali linea cõstat parentela, & sit proprium prædium, & hic est verus & natiuus sensus huius articuli 329.

Verbum hoc, descenduz, singulare est.

Obiectio.

Quorum animis contraria sedit opinio, afficiũt illa verba articuli 129. sub titulo de retractu gentilitio (*escheu par succession.*) Atque ex his verbis hoc, aut simile ducunt argumentum : non alia desideratur habilitas, aptitudo, vel parentela ad succedendum, quam ad retrahendum, & ideò quicumque admittitur ad retractum proprij prędij alienati, admitti etiam potest ad successionem eiusdem proprij, verissima est illa propositio : habilitas autem illa siue parentela definitur per illũ articulum 129. habita hac ratione vnde prædium venditori contigit per successionem, in his ver-

Argumentum à retractu ad successionem.

bis(*eschen par succession*) quæ non nisi de immediata successione intelligi possunt, & per consequens sufficit siue de retractu, siue successione proprij quæratur, ei parentem esse per cuius successionem defuncto aut venditori immediatè, prædium contigit.

Minor huius argumenti propositio falsissima est, neque ea verè elici potest ex mente, neque ex verbis ipsis articuli: ex mente patet per ea quę suprà diximus, nam eo modo bona propria transirent in exteram familiam, ex verbis quoniam ea verba dispositiuè dicuntur ad definiendā qualitatem proprij prædij, non demonstratiuè de hac vel illa successione, vel taxatiuè de immediata venditoris successione, scilicet vt definiat lex nostra in illo articulo, nullum aliud prædium proprium subiacere actioni retractus, nisi tale factum sit per successionem, ideóque proprium conuentum ex contractu si alienetur ab eo, cui sub hoc pacto traditum sit, retrahi non posse ex illa alienatione, secus si alienetur ab eius hærede quoniam in persona hæredis factum est proprium per successionem: excipio duos casus, vnum, si traditio facta sit ex causa donationis vel dotis licet rei quæsitæ, aut ex alia causa quæ collationi subiaceat in linea directa, idque propter articulum 278. nostri statuti, qui ex communi & naturali parentum voto viuentis quodammodo parentis successionem introducit, fingitque liberalitatem parentum in liberos collatam tenere locum futuræ successionis, & ea propter res licet simpliciter donata à parente sit hęredia liberis, eamque ęximit articulus 246. ex communi

Solutio obiectionis explicatusque Art. 129.

Proprium conuentum an subiaceat legi retractus.

Quæstio singularis ad Art. 278.

bus coniugum ſocietatis bonis : alterum, ſi traditio facta ſit rei iam propriæ donatori parenti donatario lateris & lineæ, quo caſu ſi alienet donatarius ſubiacet retractui, non propter pactum donationis, ſed quia iam proprium eſt per ſucceſſionem, neque per donationem de linea exijt, idq; ita dico propter articulum 133. verum quod donatori eſt quæſtus, ſi cuiquam donet licet parenti, addo amplius & præſumpto hæredi, ſub hoc pacto vt ſit ei proprium, ex alienatione donatarij non erit locus retractui propter hæc verba (*eſcheu au vendeur par ſucceſſion*) ad excluſionem proprij conuenti, huiuſmodi enim donatio eſt merè quęſtus in donatario, & ſub hac ratione non ſubiacet bonorum collationi inter hæredes articulo 301.

Quæſtio ad Art. 133.

Patet igitur ex hac ratione quare neceſſe fuerit in illo articulo 129. addere hæc verba (*par ſucceſſion*) quæ tamen non inueniuntur, in articulo 326. qui huic reſpondet, quod eſt ſummè notandum, euidenti ſcilicet de cauſa quoniam ceſſat in hoc articulo 326. neceſſaria illa cauſa, propter quam addita fuere in illo articulo 129. namque per mortem donatarij propter conuentionem proprij ſuccedit hæres : per alienationem autem donatarij, ex lege municipali retrahere non poteſt propinquus quia venditori non eſt proprium per ſucceſſionem.

Diſſimilitudo Art. 129. & 326.

Supereſt vt dicam illa verba (*par ſucceſſion*) in illo articulo 129. non reſtringere, neque limitare præcedentia verba abſoluta & indefinita (*coſté & ligne*) ad immediatam eius cui ſucceſſit venditor lineam, neque ſecare lineam proprij prædij

Continua- Art. 129. expoſitio.

in duas partes vel lineas: Ideóque vt in successione, ita in retractu considerandum esse primum auctorem, stipitem, siue radicem bonorum, per cuius successionem in familiam sunt illata, & facta propria: quod satis innuit articulus 141. & mihi subindicant illa verba (*dont est venu*) repetita in articulo 326. quæ verba denotant spectandum esse bonorum primum auctorem: nam quod à patre acceptum hæredi meo relinquo, à me non venit sed à patre, & per successionem meam veluti per manus hæredi meo contingit, & hoc modo notatur differentia inter hæc duo vocabula (*venu et escheu*) & aliquando lex nostra, vt denotet accurratius recurrendum esse ad primum auctorem, vtitur hoc naturali verbo (*yssu*) vt in articulo 139. qui quidem articulus singularis est in hanc rem: nam iure retractus adiudicatum parenti prędium, destinat familię, non retrahentis, non venditoris, non eius per cuius successionem venditor habuit, sed proximiori parenti de linea (*dont est venu et yssu l'heritage*) quæ verba non nisi de primo parente, & primo prædij auctore intelligi possunt, quia non aliunde venit. Si enim proprium venit per lineam, quomodo cognosci potest linea nisi petito eius principio, & quomodo est linea si diuidatur in plures partes: quemadmodum enim adiectione punctuum augetur & crescit eadem linea, ita ex serie multarum successionum crescit eadem linea proprij, & inde in primo hærede vocatur proprium nascens, in secundo proprium antiquum sub eadem formali ratione proprij ex eadem linea, alioquin nullum esset proprium an-

Discrimen inter hæc verba, venu & escheu.

Expositio Art. 139.

Lineæ mathematicæ & ciuilis collatio.

tiquum, si ex personis singulorum hæredum cõstitueretur noua linea: ideo per geminatas successiones quasi vno & directo itinere venit proprium à primo fonte, & fluit veluti progressu quodam naturali in singulos hæredes, siue contingit singulis hæredibus de linea per ordinem, & apud eos tantisper, donec per naturam eis frui licet moratur: vt quemadmodum familiari vsu loquendi ex prima intentione, siue destinata voluntate suscepti itineris, dicimus nos eò loci certi pergere, vel ex eo loco certo venire, licet diuersis per viam simus excepti hospitijs, & aliquantulum in ijs immorati: ita ex præsumpta primi auctoris mente & voluntate qui sibi, parentibus, familiæque suæ non exteris quærit, atque etiam ex ciuili legis nostræ consideratione quę propter familiarum splendorem conseruandum bonorum propriorum introduxit distinctionem, retractum, & successionem, dicitur postremo hæredi ab eo primo auctore venisse prædium, licet non immediatè, sed veluti per gradus, & per manus multorum hæredum contigerit, venit quidem progressu veluti naturali per diuersas successiones, contigit per accidens per manus siue per successionem istius potiùs, quam alterius immediatè defuncti.

Familiaris & domestica comparatio.

Hec verba (venu & escheu) *differunt.*

Expositio Art. 330.

Lex autem nostra in[illegible]oducta bonorum propriorum di[illegible]nctione & successione, ciuilem rationem, [illegible] publicum ciuium bonum iuri naturali prætulit, non autem ius naturale sustulit, ideóq; sublatis parentibus lineæ bonorum propriorum, quemlibet propinquiorem hæredem defuncti cuiuscumque lineæ vocat ad successionem